

mendici. Tales apes fuci, sic appellati, quod furtim mella comedant, ait Plin. l. XI. c. XVII. Unde et fures vocantur et ab apibus occiduntur. (Excipio hic religiosos mendicantes, quia non otiantur.) Ergo deberet quilibet fodere potius ad sanguinem, quam mendicare. Verum si vires aut occasio desint quærendi victum labore, mendicare potius debes, quam aut furari, aut fame perire. Longe major tibi honor est, si funiculus peræ pendeat tibi de collo, quam si tibi collum dependeat de funiculo.

Secundo, vivere bene et orare pro suis benefactoribus, quo nimirum eos possint recipere in æterna sua tabernacula. Si enim ipsi reprobis sint, si blasphemant plus quam orent, si ecclesiam non frequentent, etc. quomodo suis precibus promovere alios ad cælum possunt? Quomodo eos recipere in æterna tabernacula? Tametsi vero non obest largientibus vita improba capientium eleemosynam, horum tamen preces multum valent apud Deum, si pro illis funduntur.

III. Discunt domini et superiores. Primo, lente et considerate procedere ad condemnationem et punitionem subditorum: ita nimirum ut reo defensionis locus detur. Tametsi enim Deus (qui per divitem hunc intelligitur) optime norit iniquitatem villici, adeoque contra eum etiam inauditum procedere mox potuisset, noluit tamen, sed vocavit eum prius ad se et dixit ei: *Quid hoc audio de te?* Noluit igitur credere delatoribus, voluit audire ipsummet reum; quo nimirum doceret sic procedendum superioribus cum subjectis. Idem docuit Deus, Gen. XI. quando filiis Noe ædificantibus turrim Babel, descendit ut videret civitatem et turrim. Similiter, Gen. XVIII. cum clamor Sodomorum ad eum ascendisset, dixit: *Descendam et videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint.* Loquitur enim humano more propter iudices, ne facile accusationibus credant, sed eas lente et mature examinent: *Visus enim certus potius quam fallax auditus testis adhibendus est*, ait Philo, de confusione linguarum. Recte Seneca, l. II. de ira ait: *Veritatem dies aperit, potestque pœna dilata exigi, exata revocari non potest.* Notus est Theodosii imp. lapsus, et pœnitentia præcipitata sententiæ et executionis contra Thessalonicenses: necnon Davidis contra Miphiboseth, II. Reg. XVI. et XIX. Ptolomæus etiam rex cum alea ludens audiret interim pauperem recitantem nomina et crimina damnatorum, Berenice ejus uxor erepto libello e pueri manibus, dixit, non obiter aut interdum advertendum esse animum, cum de hominis salute agitur. Quo dicto rex delectatus

cavit in posterum capitales causas audire interdum, Eborens. tom. II. tit. de prudentia.

Secundo, abstinere verbis amaris et truculentis, etiam erga reos. Etenim Dominus iste non invehitur in furem, licet suorum bonorum: non probris eum onerat, non minas intonat, sed pacate: *Quid hoc audio de te?* inquit. Ita etiam fecit Josue cum Acham, fure anathematum, (Jos. VII. § XIX.) quem deprehensum paterne allocutus est: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere atque indica mihi, quid feceris, ne abscondas.* Quem enim reipsa consolari non poterat, verbo consolabatur. Unde et reus mox confiteri crimen cœpit. Habent etiam rei aliquid commiseratione et mansuetudine dignum: quia licet naturæ imbecillitate peccarunt: quia pretium sanguinis Christi sunt, etc. Quare sicut medicus dum scindere vel urere debet partem affectam, lenitate interim ægrum demulcet: ita facere debet magistratus. Quid, quod damnatum illum epulonem simili voce affatus est Abraham: *Fili, recordare, quia recipisti bona in vita tua?*

IV. Discunt subditi et servi. Primo, non fraudare dominos suos, sed dispensare eorum bona fideliter. Nam imprimis iniquitas eorum brevi detegitur, quemadmodum et iste cito diffamatus est apud dominum. Potest quidem ad tempus occultari infidelitas, et fere paterfamilias postremus est, qui eam percipit: sed ad extremum tamen patefit, et suo se fœtore prodit malum, quemadmodum furtivus ille eieceris fascis a monacho clanculum reservatus, in vita S. Hilarionis, apud S. Hieronymum, cujus fœtorem non Hilarion solum, sed et bestię senserunt, dum oblatum comedere noluerunt. Fœtent res furtivæ, earumque fœtore cito deprehenditur. Deinde, in graviora mala ex uno devolventur, quemadmodum iste villicus, qui infidelitati suæ adjecit furta ampliora, dum res domini sui aliis donavit. Ita nimirum qui semel ausus est furari, audet et pejerare, et suam iniquitatem gravioribus sceleribus occultare. Denique, ad extremum debitam reportant mercedem, ignominiam videlicet. Nam licet villicus ille laudari videatur, revera tamen non tam laudatur, quam vituperatur. Tacite enim vocatur tenebrius et filius tenebrarum. Et mirum sane est, cur hic villicus e bonis domini sui tam male dispensatis, non sit factus dives, sed potius tam pauper, ut amotus a villa stipem sibi colligendam prædiceret. Sed nimirum talia sunt furtiva bona, ut non ditent facile, sed potius spolient et ad stipem redigant.

Secundo, neque participes se facere furti

alieni, quod fecerunt in hoc evangelio debitores domini, cum pro centum scripserunt quinquaginta et octoginta. Si dixissent isti: Non licet nobis fraudare dominum nostrum, forsitan œconomus a proposito resiliisset. Sed quia illis gratia fuit hæc fraus, ideo furem fecerunt, aut certe confirmarunt.

V. Discunt dissipatores bonorum suorum primo, reddendam sibi aliquando strictam rationem, si non hic parentibus, tutoribus, magistratui, certe ibi Deo, quod opes sibi creditas tam perditæ abliguerint, in præjudicium parentum, uxoris, liberorum, creditorum, pauperum. Tunc dicent cum dissipatore: *Quid faciam?* Si enim S. Job, cui Deo teste, non erat similis in terra, vir, inquam, tam bonus ac perfectus timuit iudicium illud dicens: *Quid faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus?* Quanto magis timere debent iniqui dispensatores? Idem enim Job, de talibus ait: *Divitias, quas devoravit, evomet, et de ventre ejus extrahet eas Deus.*

Secundo, quorsum desinat tandem ipsorum prodigalitas et bonorum dissipatio, nimirum in triste illud canticum: *Quid faciam?* Cum enim in juventute nullam artem didicerint, nil suo compararunt labore, sed fruges tantum consumpserunt, superbe incedere et vestire, per plateas deambulare et popinas frequentare didicerunt, tum demum videntes parum aut nihil superesse sibi capillos villicare, sero incipiunt, dicentes: *Quid nunc faciam?* Fodere non valent, quia vel non possunt, nullum edocti artificium: mendicare erubescunt. Unde sæpenumero urgente necessitate eligunt furari, aut fuga sibi consulere; atque ita tandem sero redeunt ad se cum villico dicente intra se: *Quid faciam?* Qui diu vagabantur extra se.

VI. Discunt denique omnes primo, in omnibus actionibus suis, præsertim gravibus, cogitare secum prius: *Quid faciam?* Ut enim cochleæ lente ingrediuntur nec quidquam attingunt, aut usquam se movent, nisi cornibus prætentarint: (Quia enim oculis carent, corniculis prætentant, ait Plin. l. IX. c. XXXII.) ita in rebus seriis hominem oportet esse cunctabundum, minimeque præcipitem et pedetentim aggredi agendas. Quia enim in plerisque rebus cæcufimus, ideoque duobus illis corniculis, providentia et consilio, prætentare et dirigere vias nostras debemus, uti fecit villicus iste. Audi ejus providentiam: *Quid faciam, quia Dominus meus aufert a me villicationem?* Audi consilium: *Fodere non valeo, mendicare erubesco: faciam ergo mihi amicos. Hunc in modum. Quidquid agas, prudenter agas, et respice finem.*

Secundo, modum ac rationem componendi cum Deo rationes nostras in iudicio, licet mali œconomus fuerimus. Sunt autem hi tres modi satisfaciendi pro peccatis admissis, et promerendi vitam æternam; nimirum *fodere* per opera mortificationem, et corporis castigationem: *mendicare* per orationis studium: *facere* nobis amicos in cœlo per eleemosynam. Et quidem decet Christianum in omnibus his studiis sese exercere, tum quia omnia nostra Deo debemus; per jejunium autem offerimus Deo corpus, per orationem animam, per eleemosynam facultates externas: tum quia peccando offendimus nos ipsos, Deum et proximum; per jejunium satisfacimus nobis, per orationem Deo, nulla eleemosynam proximo. Sed quia multi nimis delicati sunt, qui hæc omnia præstare nequeunt, ideo eligant saltem aliquid. Etsi infirmi fodere nequeunt, orent. Si pauperes dare eleemosynam nequeunt, fodiant. Et si divites fodere non sunt assueti, nec orare crebro per negotia sua possunt, non omittant saltem dare crebras eleemosynas.

Discamus porro hæc bona mature nobis parare, antequam nobis dicatur: *Jam non poteris villicare. Vita hæc mercatus est*, ut ait S. Greg. Naz. in iamb. in quo omnis generis opes, id est, virtutes comparare possumus. Eo exacto nullus emendi locus est. Nulla ibi fossio, nulla mendicatio, nulla amicorum conciliatio locum habet. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum, ait apostolus ad Gal. VI. ut velut boni dispensatores laudemur et præmiemur a Deo, etc.

CONCIO XI.

MYSTERIA.

I. Quis parabola scopus et sensus? — II. Qui diffamant peccatorem apud Deum? 1. Angeli boni. 2. Dæmones. 3. Homines. 4. Propria conscientia. 5. Peccata ipsa. — III. Quomodo laudat Dominus villicum iniquum? — IV. Cur divitiæ appellantur mammonæ iniquitatis? — V. Qui amici faciendi ex mammona? — VI. Quomodo filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis? — VII. Quinam filii hujus sæculi, et qui filii lucis? — VIII. Quæ prudentia carnis et spiritus?

THEMA.

Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis, in generatione sua sunt. Luc. XVI.

Vereor auditores, ne illa Domini sententiæ: *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis, in generatione sua sunt*, redarguat nos et forte condemnet aliquando. Videmus enim filios tenebrarum,

hæreticos, magis industrios esse in tuenda sua perfidia, quam simus nos plerique in conservanda vera fide. Atque ut alia taceam, perquam seduli sunt in docendis et discendis fidei rudimentis, in cogenda ad concionem plebe, in Scripturis revolvendis. Vix est de trivio aliquis, qui non habeat domi biblia sua, qui non crebro in iis legat, qui non celebriores aliquot sententias, ad sua confirmanda dogmata, memoriæ commendat, easque crebro ruminat atque in ore habeat. Non laudo quidem per omnia hanc illorum sedulitatem, in quibusdam minime necessariam, in aliis etiam culpabilem; sed doleo tamen et miror quod catholici, filii lucis seu veræ Christi Ecclesiæ, superari se patiantur a filiis tenebrarum. Lectionem bibliorum condonat vobis Ecclesia, ut quæ novit, ss. litterarum intellectum penetrare, non esse omnium sed doctorum; cæterum hoc requirit, ut qui oculis deficiunt ad Scripturas perspicendas, earum interpretibus seu verbi divini concionatoribus tanto diligentius aures suas præbeant; quodque ab iis audierint, memoria conservent, domi sæpe ruminent, ac denique secundum id mores et vitam suam componant. Hoc ergo nunc agamus.

I. Quis parabolæ hujus scopus et sensus? Resp. scopus est, docere eleemosynam faciendam pauperibus, qua cælum nobis paremus. Sensus iste est: Homo dives Deus est, villicus ejus quilibet homo, positus a Deo tamquam dispensator honorum sibi creditorum. Diffamatur hic apud Deum, cum malus et iniquus dispensator esse denuntiatur. Vocatur autem a Deo, cum per internam inspirationem, vel per beneficia aut flagella divinitus commovetur, ut cogitet quomodo suo tempore rationem Deo reddere possit. Dissipat vero bona ejus, quando iis nec ad ipsius Dei honorem, nec ad propriam salutem et bonum proximorum: sed potius ad Dei offensam, vel proximorum injuriam aut propriam abutitur perniciem. Ait Dominus villico: *Quis audio de te? Redde rationem villicationis tuæ*; cum sic loquitur in corde peccatoris: Homo cogita quis status tuus sit, Christianum te vocas, sed vivis ut gentilis, vita tua non respondet tuæ vocationi. Verbis Deum confiteris, operibus blasphemias. Vocas eum Dominum tuum, nec tamen facis ejus voluntatem. Quare bonis meis ita abusus es? Cur ea non dedisti ad usuram? Cur non fœneratus es pauperibus? *Quid hoc audio de te?* Aut præterea: *Jam non poteris villicare*; cum homini inculcat memoriam mortis, et judicii adventantis et quasi jam præsentis, ubi deponetur ab administratione

bonorum et cessabit facultas bene merendi. Porro villicus asserit se fodere non posse, mendicitatem erubescere; quia qui deliciis assueti sunt, hæc talia sibi impossibilia reputant, itaque eleemosynam potius eligunt, vel a confessoriis sibi injungi optant.

II. Qui sunt qui diffamant seu accusant peccatorem apud Deum? Resp. primo, angeli sancti, præsertim custodes. Hi enim Dei et suorum clientum injurias cum æquis oculis aspicerenequeant, inde in vindictam sumendam quodammodo accenduntur, Deoque injurias illas representant. Scimus angelum Dei impio illi Balaamo gladium intentasse, quando is pergebat ad maledicendum Israel, Num. XXII. Scimus angelum Domini paratum fuisse ad scindendos per medium impios illos senes, Susannæ insidiatores, Dan. XIII. Intentatio ista gladii quædam accusatio et sceleris ad Deum delatio est.

Secundo, angeli mali, qui idcirco diaboli, id est accusatores et calumniatores appellantur, a verbo Græco quo etiam utitur Dominus hoc loco; quod interpret noster vertit *diffamatus*. Confirmatur ex Apoc. c. XII. ubi dicitur diabolus *accusator fratrum*, et accusare eos ante conspectum Dei die ac nocte. Scimus calumniatum fuisse sanctum illum Job, quando dixit: *Numquid Job frustra timet Deum?* Job I. quasi opera ejus mercenaria tantum essent. Ergo idem ipse, qui invitat et instigat nos ad peccandum, ubi peccaverimus, accusabit et calumniabitur nos. Quare non dubitandum illum ipsum serpentem, qui seduxit protoplastos, patrato peccato cucurrisse post eos, quo peccatum eorum proderet, et ad Deum quasi deferret. Cum enim in latebris ad quæstionem vocaretur Adam, præsens ibi serpens fuit, ut ex contextu patet. Ergo Adamum insecutus est, utique ad prodendum eum.

Tertio, homines, et imprimis iis, quos offenderis et oppresseris. Ita enim dicitur, Exod. XXII. *Advenam non contristabis, viduæ et pupillo non noceris. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego exaudiam clamorem eorum*. Deinde etiam alii, tum quod videant fratres suos inique tractari ab impiis, tum quod horum malefactorum offendantur et scandalizentur, tum quod ignominiam Deo illatam æquo ferre animo nequeant; quemadmodum Elias, qui III. Reg. XIX. ait: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel*.

Quarto, propria conscientia, ut insinuat apostolus ad Rom. II. asserens conscientiam esse testem et cogitationes illius accusare hominem. Typum illius expressit nuntius ille, qui S. Job

nuntiabat omnes clades dicens: *Ego cvasi solus ut nuntiarem tibi*, Job I. Licet enim omnes alios testes fugere possemus, conscientiam tamen fugere non possumus. Illa ergo omnia nostra peccata nobis annuntiat, nosque redarguit, atque ita coram Deo accusat; quemadmodum fecit illi Cain cum dixit: *Omnis qui viderit me, occidet me*, Gen. IV. Atque hic vermis ille semper rodens putrescentem animam, qui se maxime prodet in inferno.

Quinto, peccata ipsa, quæ ob suam turpitudinem et abominationem clamant quasi ad Deum et vindictam petunt; uti sanguis Abel iniquissime fusus, Gen. IV. et scelus Sodomitarum, Gen. XVIII. Hinc dicitur Num. XXXII. *Scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos*. Tamquam lictor scilicet qui furem insecutus comprehendit et ad judicem trahit.

III. Quomodo laudat dominus villicum iniquum? Itane ex bonis male partis vult Dominus fieri eleemosynas? Resp. per dominum, qui laudavit villicum, intelligendum esse dominum villici, non Christum. Dives ergo non Christus, laudavit villicum suum, non quod bene, sed quod provide et prudenter in rem suam egisset. Christus suadet hic eleemosynam faciendam, sed non ex alieno, quia scriptum est: *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata*, Ecclesiæ. XXXIV. *Et, qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui*. Quod ergo Dominus villici laudat villicum, perinde est ac si concionator dicat suis auditoribus: Ecce fures tota nocte vigilant et grassantur ut prædas agant cum periculo vitæ suæ, et vos non potestis una nocte vigilare in oratione? Ecce quam mulieres impudicæ ornant corpus suum, ut seducant adolescentes! Et vos non curatis pari studio adornare animas vestras, ut Deo placeatis? Hic non laudat fures et meretrices, sed studium dumtaxat et solertiam. Quod ergo Christus hanc parabolam proponit, non hoc facit ut villicum in omnibus imitemur, sed in eo solum, quod durante adhuc officio et tempore blandientis fortunæ futuram inopiam consideravit et antevertit prospiciens sibi in futurum. Imo non obscure vituperat eum dominus, quoad furtum ejus, dum eum vocat implicite filium hujus sæculi et tenebrarum.

Cæterum si rerum injuste possessorum dominus nescitur nec inveniri potest, tum restitutio fieri debet pauperibus. Et de hoc intelligendus est D. Chrys. hom. IX. in Matth. cum ait: *Aquisisti male, impende jam bene: collegisti hactenus inique, disperge jam juste*. Similiter D. Aug. serm. XXXV. de verb. Dom. *Qui habetis de malo, facite inde bonum*.

IV. Cur ergo divitiæ appellantur a Christo mammona iniquitatis? Respondeo primo, quia persæpe ex iniquitate, nimirum ex fraudibus, rapinis, furtis, usuris et iniquis contractibus congregari solent. Hanc causam reddidit S. Hieron. ep. CL. ad Hedibiam: « Omnes enim divitiæ, inquit, de iniquitate descendunt: et nisi alter perdidit, alter non potest invenire. Unde et illa vulgata sententia mihi videtur esse verissima: Dives aut iniquus, aut iniqui hæres. » Unde divitiæ quasi de vitiiis vult dictas esse Pierius, l. XII. ad finem.

Secundo, quia facile iniquos faciunt suos possessores, nisi magna cautela tractentur, quam ob causam etiam Dominus spinis eas comparavit quæ nisi admodum caute tangantur, statim vulnerant et eruant manus. D. Ambrosius, l. II. de interpellat. in Job, c. V. ait: *Magna illecebra delinquendi est rerum affluentia secundarum: supinat, extollit, oblivionem auctoris infundit*. Quare sicut concupiscentia ab apostolo ad Rom. VII. peccatum appellatur, quia est fomes peccati: ita et divitiæ recte appellantur *mammona iniquitatis*, quia sunt fomes iniquitatis. Ob eamdem causam celesti voce venenum dictæ sunt. Nam ut refert Henricus Gandavensis in quodlibet apud Lyran. Deut. XXXII. quo tempore Constantinus imp. Ecclesiam amplissimis muneribus ac redditibus dotavit, hæc e cælo vox audita fuit: *Hodie cecidit venenum in Ecclesiam Dei*. Venenum ergo dictæ sunt, quia facile inficiunt animum, nisi magna cautela dispensentur.

Tertio, quia communiter iis abutimur, atque ita ex cupiditate nostra malæ et iniquæ fiunt; quo modo vinum alioquin bonum destruitur, cum infunditur, in vas sordidum aut fetens; fetorem enim ex vase contrahit. Sic apost. ad Eph. V. dies vocavit malos (*quoniam dies mali sunt*); eo quod nostro vitio tales plerumque fiant. Ergo divitiæ fiunt mammona iniquitatis, cum non recte dispensantur, cum pauperibus negantur, cum in luxum aliosve malos fines prodiguntur.

Quarto, quia inæqualiter sunt distributæ, et quodammodo inique, si præmia temporalia solum spectemus. Multi enim sunt optimi viri, qui longe melius dispensarent divitiis, et meliori jure possiderent quam divites aliqui, iis tamen destituti sunt; cum e contra improbi et scelerati multi divitiis abundant. Recte ergo iniquitatis, id est, inæqualitatis appellantur, ut post Aug. com. I. in Ps. XLVIII. censet D. Thomas, II-II. q. XXXII. a. VII.

Quinto, quia non sunt veræ divitiæ ex sententia sapientum et piorum hominum: solum ab iniquis tales reputantur. Qui terrena spernunt, nullas agnoscunt divitiis, nisi cœlestes, terrenæ

illis stercorea sunt; quæ idcirco non absolute, sed cum certa appendice divitiæ dicuntur, uti *fallaces divitiæ*, Matth. XIII. Ipsi vero divites ab apostolo, I. Tim. VI. *Divites hujus sæculi*.

V. Quinam sunt amici faciendi ex mammona? Resp. primo, esse pauperes. Licet enim isti versentur in terris, et quandoque improbi sint, recipiunt tamen eleemosynarios in æterna tabernacula, quatenus Christus pauperum loco eleemosynam acceptat, et pro ea cælum donat tributibus. Quemadmodum ergo Christus accipere dicitur, quod nomine Christi accipiunt pauperes: ita quod dat Christus nomine et loco pauperum, pauperes dare censentur. Recipiunt ergo illi, seu pro illis, Christus divites in cælum per meritum eleemosynæ. Unde S. Gaudentius episc. Brixianus, in expos. hujus loci ait: *Recipient vos non ipsi pauperes per semetipsos, sed per eum, quia in illis obedientia ac fidei nostræ fructus reficitur.*

Secundo, speciali titulo esse justos ex sententia D. August. I. II. quæst. ev. cap. XXXIV. et glossæ interlinearis, quæ sic habet: *Facite amicos, non quoslibet pauperes, sed eos, qui possunt vos recipere in æterna tabernacula.* Ratio est, quia hi cum justus sunt, habent in cælo destinata sibi tabernacula, et præterea precibus suis possunt largitoribus cælum impetrare; quod non possunt impii. Cæteris ergo paribus, præstat dare bonis quam improbis: quamquam nec id perit quod injustis datur.

Tertio, specialissime esse sanctos, ex sententia D. Ambrosii, quia: *Largiendo pauperibus, angelorum nobis cæterorumque sanctorum gratiam comparamus*, inquit. Quod imprimis fiet, cum ad honorem sanctorum templa ædificamus, ornamus, dotamus, etc. Sancti enim, qui divites sunt in cælis, pauperes sepe sunt in terris, dum vel obscuro loco quiescunt, vel vili sub tecto habitant, vel eorum reliquiæ minus decore asservantur, vel aliis modis negliguntur. Ergo qui in pauperes istos confert suam mammonam, sane in eos conferet, qui possunt ipsum recipere in æterna tabernacula, in quibus ipsi jam securi habitant. Verum ex mente Christi rectius intelligimus pauperes homines, quoscumque tandem illos.

VI. Qua ratione filii hujus sæculi prudentiores sunt filii lucis? Resp. id intelligendum non absolute, sed in generatione sua, hoc est, in negotiis sæcularibus, et rebus temporalibus inter suos, sibi similes, plerumque non semper, prudentia carnis, non prudentia spiritus. Hac ratione noctuæ et vespertiones oculatiores sunt homine, sed de nocte, non de die. Feles

acutius vident homine sed ad capiendos mures, non ad legendas litteras. Ergo primo, filii hujus sæculi magis seduli et industrii sunt ad ornandum et saginandum corpus, quam filii lucis ad ornandam et impinguandam animam. Hoc aliquando deflevit S. Nonnus episcopus, videns Margaritam famosissimam meretricem summo studio et ingenti luxu corpus adornantem; dicens, se animæ suæ cultui tantam curam et diligentiam nunquam impendisse, quantam illa impenderet corpori. Quo facto eam convertit ad pœnitentiam, et Pelagiam appellavit, Jacob. diae. Heliopolis, in vita Niceph. Uxores Assueri, ut semel in conspectu regis apparerent, prius anno integro sese adornabant. Quis ita adornat animam suam ante s. communionem?

Secundo, magis attentus sunt ad comparanda bona temporalia, quam justus (communiter) adparanda æterna. Ita videmus sæculares longe magis attendere ad rem domesticam, quam ad suam conscientiam. Norunt suos creditores, sciunt quantum quisque ipsis debet: sciunt modos et rationes sua recuperandi. At vero, quæ ipsi Deo debent, parum aut nihil curant: non sciunt statum conscientiæ suæ, non norunt in confessione enumerare peccata sua, etiam graviora non sciunt, neque querunt modum seliberandi ab illis debitis. Cujus ratio est, quia corporalia sensibus percipiuntur, itaque fortius movent appetitum quam spiritualia, quæ intellectu tantum percipiuntur, atque ita tenuiter nos movent. Illa etiam in præsentibus exhibentur; hæc vero ad futurum et alterum illud sæculum spectant.

Tertio, magis vigilant ad nocendum sibi et aliis, quam justus ad opitulandum; magis ad opprimendos et fallendos pauperes, quam justus ad juvandos. De filio hujus sæculi dicitur Psalm. IX. *Insidiatur quasi leo in spelunca sua, insidiatur, ut rapiat pauperem: rapere pauperem, dum attrahit eum.* Sic Judas solertius vigilabat cum Judæis, ut eis Christum traderet, quam alii discipuli cum Christo, ut cum eo orarent, vel eum defenderent.

Quarto, plura sæpe faciunt, atque excogitant, ut tueantur sua scelera, ut defendant et propagent hæresin, etc. quam justus ut tueantur virtutes, catholici ut propugnent et dilatent veram Christi religionem. Videre enim est hæreticos magis inquietos esse, minus sumptibus parcere, plus laborum suscipere, ut evertant fidem catholicam, quam nos ut evertamus hæresin.

Quinto, diligentius sibi prospiciunt de rebus necessariis in futurum tempus, quam boni in futuram æternitatem. Villicus hodiernus de futuro tempore sollicitus fuit quo se reciperet amotus a villicatione, quid in senecta bibere, come-

dere et induere deberet; atque hucusque extendit se prudentia hujus sæculi. Pauci admodum sunt, qui non colligunt sibi opes, providentque aliis commoditatibus pro adventante senectutis hieme, pro altero autem sæculo nihil sibi parare curant.

VII. Quinam filii hujus sæculi, et qui filii lucis? Resp. duplex hic insinuari inter utrosque discrimen. Mali vocantur filii hujus sæculi, consequenter boni sunt filii alterius sæculi. Ratio, quia illi præsens sæculum ejusque commoditates eligunt pro parte sua, et hunc mundum pro patria sua; isti vero sæculum futurum et cælum. Illi: *De mundo sunt, et de mundo loquuntur, et mundus audit illos*, I. Jo. IV. isti vero de hoc mundo non sunt, sed dicunt: *Quid mihi est in cælo? Et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.*

Deinde, boni vocantur filii lucis, consequenter mali sunt filii tenebrarum. Quemadmodum ergo in Ægypto duæ distinctæ regiones erant; una lucida et clara, in terra Gessen, ubi habitabant filii Israel; altera tenebris obducta densissimis, in reliqua Ægypto, ubi habitabant Ægyptii, Exod. X. ita in hoc mundo alii lucem inhabitant fidei, virtutis et veræ sapientiæ, ut justus; alii tenebras errorum, vitiorum et sapientiæ carnalis, ut injusti. De illis dicitur: *Justorum semita quasi lux splendens procedit ac crescit usque ad perfectum diem*; de his vero: *Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corrumpunt*, Prov. IV. Illi spiritualia sectantur, probant, eligunt, ambiunt: hi vero carnalia et terrena.

VIII. Quæ est prudentia carnis, et quæ spiritus? Resp. id explicari ab Anselmo, apud Corn. in ep. ad Hebr. c. VIII. « Prudentia carnis, inquit Anselmus, est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare quæ falsa sunt, vera ostendere quæ vera sunt, fallacia demonstrare, honorum culmina quærere, adempta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere; cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere; cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valet, hoc in pacifica bonitate simulare. Prudentia vero spiritus, id est, justorum sapientia est, nihil per ostensiones

ingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa evitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumelias pati, lucrum putare. »

Prudentia filiorum hujus sæculi sive carnis est terrena, et carnalia quærere, mirari et amare: sapientia filiorum lucis est, terrena illa spernere, cœlestia sola quærere: *Sapienti nihil potest videri magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis totiusque mundi nota sit magnitudo*, Cicero, III. Tusc.

Prudentia carnis est, mala pœnæ vitare, mala culpæ nihili aestimare, et hæc potius quam illa admittere. Sapientia spiritus est, omnium potius bonorum jacturam facere, omniaque supplicia tolerare, quam vel unum peccatum admittere.

Prudenti carnis est, injurias inferre potius quam pati. Contra: *Hæc cœlestis plane et divina sapientia est*, inquit Constantinus imp. orat. ad ss. cœtum, c. XXV. *ut pati malimus injuriam, quam facere; et damnum potius accipere, quam inferre parati simus.*

Prudentia carnis est injurias ulcisci. Contra vere: *Prudentium est, amicis inimicitias condonare: stultorum et barbarorum est, amicos cum inimicis fallere*, inquit Dion. Halicarn. I. V.

Prudentia carnis est privata commoda publicis antepone. Contra: *Prudentes*, inquit idem, I. XI. *publica commoda privatis similitatibus potiora ducunt.*

Prudentia carnis est nosse, et considerare alios, et quæ circa ipsos sunt: prudentia spiritus, nosse seipsum.

Prudentia carnis est alios reprehendere: prudentia spiritus, seipsum prius reprehendere, et quæ in aliis reprehendit, ea non facere, ut dicebat Thales, apud Laert. I. I.

Prudentia carnis est secundis rebus extolli, adversis vero dejici. At vere: *Sapienter*, inquit Apuleius, *nec secundis rebus effertur, nec contrahitur in adversis.* Et quemadmodum grando illisa tectis dissultat magno quidem fragore, sed nullo damno: sic insultus fortunæ nihil potest in sapientem.